

COLLOQ. XIV.

Familiale colloquium. Scholastici ornamenta. DEUS adjutor studiorum.

PUBLICUS. BONIFACIUS.

UNde veniebas modò? *Bon.* E culinâ. *Publ.* Quid illic iveras? *Bon.* Ut me calefacerem. *P.* Tu, credo, libentiùs es in culina, quàm in schola. Nonne? *Bon.* Nihil mirum: In schola non est ignis, sicut in culina. *Publ.* Abi: sapis. *Bon.* Utinam tam saperem in divinis rebus, quàm in cura corporis. *Publ.* Fac, sapias. *Bonif.* Quomodo? *Publ.* Studio, curâ, labore, diligentia. *Bonif.* Non parco labori. *Publ.* Rectè facis: sed est tempus expectandum, cujus progressu fiunt omnia. Interea precandus est Deus assidue. *Bon.* Benè mones: utinam ille studia nostra promoveat in gloriam sui nominis. *Publ.* Id faciet, si pergamus eum colere diligenter.

COLLOQ. XV.

Commeatio à Schola domum frequens noxia, Præceptoris voluntas optima.

PETRUS. CORNELIUS.

Quid tecum cogitas, Corneli? *Corn.* Libenter irem domum. *Pet.* Quid eò? *Cornel.* Ut me in his diebus parumper recrearem cum matre. *Pet.* Quid obstat, quo minùs eas? *Cornel.* Præceptor non vult permittere. *Pet.* Melius tibi



bi consulit, quàm ipse putas, *Corn.* Quomodo?
Petr. Nam interea perderes multum temporis:
 & quùm redisses, tibi doleret. Nonne verum
 dico? *Corn.* Profectò sic est. *Pet.* Mane igitur,
 si sapis. *Pet.* Parebo tuo consilio: quia mihi re-
 ctum videtur. *Pet.* Nollem sciens malum tibi
 consilium dare. Atque utinam quod svadeo,
 succedat tibi prosperè! *Cornel.* Spero ita fore,
 DEO volente.

COLLOQ. XVI.

Mutuatio, DEI providentia, veneratio.

Emtio.

in vil MARTIALIS. BLASIUS.

facit
grob **Q**uantum habes pecuniæ? *Bl.* Assem cum
 semisse. Tu vero? *Mart.* Non tantum. *Bl.*
 Quantum igitur? *Mart.* Unicum assem *Bl.* Vis
 mihi dare mutuò. *M.* Est mihi opus. *B.* In quem
 usum? *M.* Ad emendam chartam. *B.* Hodie red-
 dam tibi. *M.* Addendum fuit: Deo juvante. *B.*
 Sic docet Præceptor. Sed non possum assvescere.
M. Fac assvescas. *B.* Quomodo id fiet? *M.* Si
 sæpè cogites, nos à DEO sic pendere, ut nihil pos-
 simus sine ejus auxilio. *Bl.* Bonum mihi das con-
 silium. *M.* Qvale mihi dare velim. *B.* Sed (ut ad
 propositū redeamus) dabis mutuò istum assem?
M. Miror, te mutuò petere, quì plus habeas, quàm
 ego. *B.* Est quidam Scholasticus hac transiens, qui
 librum venalem ostentat. Quid tum? *B.* Cr-
 piebam emere, quia vilius indicat, quàm nosse
 Bibliopola. *M.* Accipe: sed quæso, unde tam citò
 red-

reddes ? *Bl.* A cœna ibo domum ut à matre petam. *Marc.* Quid si dare nollet ? *Bl.* Nihil cunctabitur, quùm librum ostendero.

COLLOQ. XVII.

Ætatis Computatio. Exercitationis domesticae fructus, Latinitas cotidiana.

MACARIUS. EUSEBIUS.

Quot annos habes? *Eus.* Tredecim, ut à matre accepi. Tu verò? *Mac.* Equidem non tot habeo. *Eus.* Quot igitur? *Macar.* Deest unus. *Euseb.* Sunt ergo duodecim. *Macar.* In promptu est ratio. *Eus.* Sed frater tuus quotum agit annum? *Mac.* Quintum. *Eus.* Quid ais? jam Latine loquitur? *Macar.* Quid miraris? Semper habemus domi pædagogum & doctum & diligentem? semper nos Latine loqui docet; nihil Germanicum affert, nisi aliquid declarandi causâ. Quin etiam patrem non audemus nisi Latine alloqui. *Eus.* Nunquam igitur Germanicè loquimini? *Macar.* Solùm cum matre: Idque certâ quâdam horâ, quùm illa nos ad se vocari jubet. *Euseb.* Quid agitis cum familia? *Macar.* Cum familia rarus est nobis sermo, & quidem tantùm in transitu: & tamen famuli ipsi nos Latine alloqvuntur. *E.* Quid ancillæ? *M.* Si quando usus postulat, ut eas alloqvamur, utimur sermone vernaculo, ut solemus cum ipsa matre.

Euf. O vos felices, qui tam diligenter docemini!
Mac. Est DEO gratia, cujus dono patrem habemus, qui curat nos tam accuratè erudiendos. *E.* Certè ejus rei laus & honor unico cœlesti Patri debetur. *Mac.* Sed quid agimus? Jam audio recitari Catalogos? *Euf.* Ergò festinemus.

COLLOQ. XIX.

Morbus. Remedium. Venia eundi. Præmeditatio petitionis.

SERVATIUS. LUDOVICUS.

Quid tristis es, Ludovice? *Lud.* Ægroto.
Serv. Quid morbi est? *Lud.* Nescio. *Serv.* Sed tamen estne gravis morbus? *Lud.* Non admodum, gratia DEO. *Serv.* Quidnam tibi dolet? *Lud.* Caput. *Serv.* Quid? totumne caput? *Lud.* Non certè. *Serv.* Quæ pars igitur? *Lud.* Nescio nomen. *Serv.* Estne vertex? *Lud.* Non est. *Serv.* Quid ergò? Utrum sinciput an occiput. *Lud.* Hæc pars anterior. *Serv.* Est ergò sinciput. *Lud.* Quid igitur faciam? *Serv.* Quiesce benè, mox sanus eris: sic enim à matre accepi, nullum esse præsentius remedium capitis doloribus, quàm quietem. *Lud.* Atqui varii sunt morbi capitis. *Serv.* Et varia fortasse remedia. Sed quid est facilius, quàm id tentare, quod dixi tibi? *Lud.* Experiri quidem, nihil (ut spero) nocebit: Sed ubi quiescam? *Serv.* Domi vestræ in lecto. *Lud.* Mater non finet. *Serv.* Immò, si dixeris te ægro-
tare,

tare *Ludov.* Atqui me putabit simulare. *Serv.* Fieri potest : sed quid dubitas periculum facere? *Lud.* Bonum consilium. *Serv.* Utere, si vis. *Lud.* Faciam profectò. *Serv.* Enim verò, si sapias. *Lud.* Sed unum restat. *Serv.* Quid est? *Lud.* Impetranda est à Præceptore venia. *Serv.* Audi, & pete. *Lud.* Quid si nolit dare? *Serv.* Imò facillimè. *Lud.* Qvî scis istud? *Serv.* Quia satis est credulus nobis, nisi qui aliquoties illum fefellerunt. Ito igitur fidenter. *Lud.* Nunc eo. *Serv.* Sed heus, prius meditare, quid sis dicturus; ne fortè loquendo hæreas. *Serv.* Benè mones : non accedam imparatus.

COLLOQ. XIX.

Ludus certaminis literarii. Iudicis cautio.

PAULUS. TIMOTHEUS.

SALOMON. JUDEX.

Optatus mihi ades, Timothee : quærebam, qui mecum certare vellet : sed omnes ad Iusûs certamen currunt. Tu verò quid ais? *Tim.* Quid ego malim, quàm tecum de nostris studiis pacificè contendere? *Paul.* Sed quod petis certandi argumentum? An de repetendis Ciceronis Epistolis? *Tim.* Malo de Catone. *P.* Quam obrem? *Tim.* Quia restant mihi aliquot prælectiones de Cicerone. Scis enim me ægotasse ferè duas hebdomadas. *Paul.* Memini. Vis igitur

tur dicamus secundum librum moralium distichorum ? *Tim.* Est longus nimis in hanc horam. *Paul.* Quid ita ? *Tim.* Quia nobis aliquandiu ludendum est, ut corpus exerceamus ad valetudinem conservandam. *P.* Dicamus ergo librum tertium, qui est brevissimus. *Tim.* Sed iudicem volo. *Paul.* Præstò est Salomon, qui me ob eam rem sequitur. *Tim.* Vis igitur Salomon audire nos ? *Sal.* Quid dicturi estis ? *Phil.* Tertium librum distichorum moralium. *Sal.* Nonne alternis dicetis ? *Phil.* Scilicet suum uterque distichon. *Sal.* At pueri (ne erretis) nolo vos audire tanquam iudex. *Phil.* Cur non ? *Sal.* Ne fortè meâ sententiâ alteruter amicorum offendatur. *Tim.* In quo igitur nobis eris adiutor ? *Sal.* Notabo in chartula diligenter utriusque lapsus: deinde referetis ad Præceptorem. *Tim.* Quid tum fiet ? *Sal.* Ille, utri videbitur, victoriam & præmium adjudicabit. *Phil.* Eris igitur nobis tantum testis. *Sal.* Sic intelligo. *Tim.* Optima sanè videtur mihi ratio. *Phil.* Mihi quoque valdè probatur. *Sal.* Sed unum restat. *Timoth.* Quid est ? *Sal.* Vultisne præter lapsus manifestos, hæitationes etiam notari. *Tim.* Sic volunt Præceptoris leges super hac re. *Sal.* Date mihi librum in manum, ut certiùs observare possim. *Paul.* Tene meum. *Tim.* Incipiamne ? *Paul.* Æquum est, quia tu à me provocatus es. *T.* Audi (quæso) Salomon; sed diligenter. *Sal.* Tu verò cave dicas negligenter.

Tim.

Tim. Hoc quicumque cupis carmen cognoscere,
lector,

Hæc præcepta feres quæ sunt gratisima vitæ.

Paul. Instrue præceptis animum, nec discere
cesses:

Nam sine doctrina vita est quasi mortis imago.

Tim. Commoda multa feres: sin autem spreve-
ris illud,

Non me scriptorem, sed te neglexeris ipse.

P. Cum rectè vives: ne cures verba malorum:
Arbitrii nostri, &c. Sic pergunt ad finem usque
libri tertii.

COLLOQ. XX.

Vindemia. Communicatio uvarum.

PETRUS. MATTHÆUS.

Gratulor tibi reditum, Matthæe. Quando
Grediisti rure? *Matth.* Heri post meridiem.

Petr. Quid mater? *Matth.* Quemadmodum illa
me secum duxerat, ita reduxit, *Petr.* Nonne ve-

nit in eqvo? *Matth.* Equidem tolutario. *Pet.* Tu
verò? *M.* Quid rogas? Eram illi à pedibus?

Pet. Non tibi fuit molestus labor itineris? *M.*
Nulla mihi fuit via difficilis: adeò erat jucunda

in urbem reditio. Quid quæris? noluissem
eqves venire. *P.* Quantum distat hinc villa ve-

stra? *M.* Quatuor miliaribus, iisque non admo-
dum longis. *Pet.* Sed jam satis de reditu. Nunc

aliud agamus. Fuistine memor promissi tui?
Num rediisti vacuus? *M.* Attuli uvarum quan-

tum potui. *Pet.* Quantum igitur? *Matth.* Quasil-
lum. *P.* Hui quasillum! Tibi igitur uni? *M.* Immo

nobis duobus. *Pet.* Quid duobus tantillum?
Matth. Non poteram ferre amplius, pro viribus
 corpusculi mei: quòd si robustus essem, asini
 onus asportassem. Mater enim facilè permitte-
 bat. *Pet.* Quàm vellem adfuisse! *Matth.* Ego
 & mater te plurimùm desideravimus. Sed esto
 animo bono: ea reliquit famulum ruri, qui am-
 plissima corbe onustus veniet: tum ille tibi da-
 bit affatim. *Pet.* Papæ! nunc optata loqueris,
 mi Matthæe. *Matth.* Eamus domum ad nos.
 Videbis quasillum nostrum adhuc (ut spero) in-
 tegrum. *Pet.* O lepidum caput! Nam & cupie-
 bam ire salutatum matrem tuam mihi charissi-
 mam. *Matth.* Profectò illi gratissimum feceris.
Pet. Eamus igitur.

COLLOQ. XXI.

*Paupertas divinitus juvatur operâ homi-
 num, sed intercedentibus sacris precibus.*

ANTONIUS. BERNARDUS.

Quid hic solus cogitas? *Bern.* Meam deplo-
 ro miseriam. *Anton.* Quænam te afficit mi-
 seria? *Bernard.* Heu me miserum! ecce muta-
 vimus classem: nec est mihi pecunia, unde li-
 bro eman. *Anton.* Annon tibi dat Pater? *Bern.*
 Dat quidem interdum; sed parcè nimis. *Anton.*
 Est igitur avarus? *Bern.* Non sequitur. *Anton.*
 Quid igitur impedit, quò minùs tibi pecuniam
 suppeditet? *Bern.* Paupertas: præterea quùm
 pe-

peto, miratur tot nobis opus esse libris. *Anton.*
 Nihil mirum, præsertim quum sit pauper: sed in-
 terim esto animo bono, nec te afflictes, quæso.
 Dabo operam, ut te juvet pater meus: Libenter
 enim largitur pauperibus, præsertim iis, quos
 novit bonarum literarum studiosos esse. *Bern.*
 O me felicem! tuâ operâ si me Deus adjuverit. *A.*
 Juvabit, spero. Sed tu interim precare illum di-
 ligenter, ut mei patris animum erga te affectum
 reddat. *Bern.* Rectè mones. Nam (ut sæpè au-
 divi è sacris concionibus) solus est Deus, qui ho-
 minum corda gubernat ac dirigit. *Anton.* Ita re-
 habet. *Bern.* Vale, mi Antoni, qui mihi animum
 reddidisti. *Anton.* Tu quoque Bernarde vale.
 Sed dic mihi, quæso, quantum nummorum tibi
 opus est? *Bern.* Si duos haberem decusses, abun-
 de mihi esset in præsentia. *Anton.* Tace: cras (ut
 spero) divinum auxilium senties.

COLLOQ. XXII.

Frigoris depulsio ad ignem seu hypocausti, seu culina.

PHILIPPUS.

WERNERUS.

*Q*Uò nunc is? *Wern.* In hypocaustum. *Phil.*

Quid eò. *Wern.* Hoccine rogandum est;

Non frigus sentis? *Phil.* Quotusquisque nunc

non sentiat, quum adeò sit acerbum? Sed ego

malim me in culina calefacere. *Wern.* Atqui

Præceptor vetuit. *Phil.* Non ignoro, Sed ro-

gabo

gabo veniam. *Wern.* Cur non vis in hypocausto calefieri? *Phil.* Vapores clibani tentant mihi caput, quod alioqvi infirmum satis habeo; unde fit, ut facile ex capite laborem. *Wern.* Ego quoque sic aliquando fui: sed paulatim assuefeci me ad terenda hypocausti incommoda. *P.* Et ego (ut spero) me assuefaciam: verum præstat id fieri horis pomeridianis, ubi tantus ille æstus deferbuerit. *Wern.* Sed nunc tempus non est hîc philosophandi diutiùs. Jam mihi dentes frigore crepitant.

COLLOQ. XXIII.

Hortus & horti arbores ac olera.

SEBASTIANUS. THEOBALDUS.

QUæ sunt arbores in horto vestro? *Th.* Hortum habemus suburbanum, in quo sunt olera quibus vescimur quotidiè: prætereà sunt in fundo nostro horti variis arboribus consiti. *Seb.* In horto quæ sunt olera? *Theob.* De hoc mater melius respondere posset. Nam illîc sæpè versatur aut serendi causa, aut sarcienti; aut aliquid colligenti. *Seb.* Sed tamen dic mihi aliquot olerum nomina. *Theob.* Parum prodesset nomina tibi recenscere, nisi res ipsas videres. Qvin eamus in rem præsentem. *Seb.* Potes ire, quando libet? *Theob.* Possum quidem, matre permittente. *Seb.* Fac ainabo: permittat: sed eâ lege, ut me tibi comitem ausumas. *Th.* Id facillimè fiet, tantum hic me expecta: mox rediero. *Seb.* Quid si ea do-
mi

minon est? *Th.* Tamen nunc tibi reunciabo.
Seb. Benè vertat DEUS!

gottgrob grolin

COLLOQ. XXIV.

*Beneficentia, & beneficiorum, præser-
 tim DEI, agnitio.*

PAULUS. CAROLUS.

Hodiè pecuniam à patre accepi: sitibi fortè
 est opus. *Car.* Nihil nunc opus est mihi:
 sed tamen gratiam habeo maximam, quòd tuà
 liberalitate ultrò mihi offers beneficium. Quo-
 tus enim quisque id faciat? *Paul.* Credo esse
 paucissimos tu me tamen non semel beneficiis
 provocasti. *Car.* Adò parva illa fuerunt, ut non
 sint commemoratione digna. *Paul.* Non est par-
 vum beneficium, quod ab optima voluntate
 profectum sit. *Car.* Utinam DEI erga nos bene-
 ficia tam expendereamus, quàm soleamus homi-
 num. *Paul.* Faxit ille, ut in ea cogitatione nos
 exerceamus & sæpius & diligentius. *Car.* Illud
 profectò necesse est, si volumus ejus benignita-
 tem experiri.

COLLOQ. XXV.

*Dictatorum scriptio & descriptio. Veri
 studium. Timiditas præstat audaciâ.*

FABIANUS. BONIFACIUS.

Quid agis? *Bon.* Scribo. *Fab.* Quid scribis?
Bon. Describo dictata Præceptoris. *Fab.*

Qvæ-

Qvænam? Bon. Hesterna. Fab. Quid? non aderas?

Bon. Immò aderam : sed non poteram Magistrum dictantem assequi. Fab. Qvæ reste impediebat?

Bon. Qvòd satis commodè non sederem.

Fab. Veneras ergò serius? Bon. Istud est. Fab.

Cedo commentarium tuum. Ego met tibi scribam.

Bon. Quid faciam lucri? Ego citiùs qvàm

tu descripsero. Pòst ludemus unà, ut concessit

Præceptor. Da (inquam) libellum tuum. Bon.

Libenter id quidem facerem ; sed non audeo.

Fab. Quid times? Bon. Edictum Præceptoris.

Fab. Qvòd mihi edictum narras? Bon. Nescis

eum vetuisse, ne quis sine permisso ejus alteri

scribat? Fab. Id ego probè memini: sed unde

hoc sciet? Bon. Rogas? Qvùm emendandi cau-

sa scripturæ rationem exiget, tum captus ero.

Novit enim manum meam. Prætereà neque fal-

lendum est, neq; mentiendum. F. Verbo DEI

utrumque vetatur. Bon. Quid ergò responde-

rem Præceptor, qvùm ille negaret me ista scri-

psisse. Fab. Non eò res evadet, spero. Bon. Nolo

tua spe tantum subire periculum. Fab. Vah, ni-

mium timidus es : nunqvàm rem facies. Bon.

At tu forsitan audacior. Fab. Tu igitur scribe,

quantum voles : ego ad ludendum me confero.

Bon. Abi qvæso : Jam unam paginam descripsis-

se. nisi me interpellâsses. Fab. At interim

aliquid proficiamus, dum latine

fabulamur.

G. 55

177

(177)



↑



Colloquium Scholasticum

Kopfh. d. Colloq[uium] Scholasticum]. Liber Tertius.
(Colloquium XIV - XXIV)

3 bon Bg, ~~pag.~~ [by. pag.] 99-110 80

[ger.:] Sammlung Manfred Grotke.
G. Bl.



Go. P. 55

